



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Ab iis dissensum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

Arce pedem  
 suum a uscalcatione, & guttur tuum  
 à siti: Captivitatē putant à Pro-  
 pheta prædici docti interpretes,  
 in quam nudipedes abducerentur.

Sebastianus Castalio: *Cave ut com-* Castal. ad  
*mittas ut tibi in captivitatē nudis* h. l.  
*pedibus procul eundem sit.* Magnus

Coccejus: *Monet imminere deporta-* Coccej. ad  
*tionem, ut nudipedes & in siti de-* h. l. & in  
*ducantur in aliam terram.* Ego Lex, Hebr.,

vero omnino non video hanc ge-  
 nuinam esse Prophetæ mentem.

Persistere Prophetam in Metapho-  
 ra cameli, & onagri fœminæ ex-  
 tra dubium est. Unde necesse est

ut hoc monitum pariter sit meta-  
 phoricum à re simili desumptum,  
 quo deterret Israelitas, & eos avocet  
 ab impudenti libidine, prout ad hæc

verba optime notarunt Belgæ in- Belgæ ad  
 terpretes. Quod confirmat respon- h. l.

sio quæ subjungitur: *Sed dicis,*  
*desperatum est, Non: nam diligo alios.*

*& eos sequar.* Quasi dicant: fru-  
 stra mones, & laterem lavas, id  
 nunquam præstabimus, diligimus  
 enim alios. Ut plane hoc sit mo-  
 nitum, non quo captivitas prædi-  
 citur, in quam nudis pedibus &

N 6 in

in fiti procul eundum esset, aut quo adhortatur propheta ut sibi caveant, ne in talem incidant & tam miseram calamitatem, sed quo à foeda libidine hoc est Idololatria populum deterret.

VI. Hunc sensum miror non vidisse multos interpretes, qui abeunt in alia omnia, quorum sententias neque referre, neque examinare libet. Superiori libro, duorum commatum, quæ præcedunt, sensum dedimus, ut quidem opinor, verisimillimum. *Camelum juniorem* משורר זריר *quæ circumit vias*, docuimus esse Camelum foeminam, quæ incipit catulire, & cestro libidinis percita huc illuc vagatur maris potiundi gratia. Scilicet Propheta qui cum meretrice comparaverat Iudaicam gentem, quæ in lupanari prostat & cuilibet se prosternit, quo magis appareat rei foeditas, eam comparat cum camelo juniore, quæ libidine flagrans marem quærit. Quæ metaphora non contentus etiam onagrum vocat populum ad Idololatriam proclivem, quæ ubi eminus olfecit marem, à nemine inhiberi

lib. 1.  
cap. 6.